

ASSERTIO SECUNDA.

Certitudo præscientiæ Divinæ de futuris contingentibus oritur ex determinata veritate alterius propositionis è duabus quibuslibet contradictoriis de futuro contingentis : & quæ veritas tam ante omne decretum est cognoscibilis, quàm ante omne decretum est verè determinata.

L VII.
 Hæc præsentatur tria, quæ in hac assertionem præbanda sunt.

Hæc assertio complectitur plura probanda, ac præsertim tria. *Primum* est, vim contradictionis, quæ est inter duas quaslibet propositiones contradictorias de futuro contingentis, efficere ut illarum altera sit determinatè vera. *Secundum* est, illam determinatam veritatem sic esse determinatam independentem ab omni decreto Divino. *Tertium* est, illam fuisse semper à Deo in se ipsa cognoscibilem atque cognitam antecedenter ad quæcunque decreta posita circa illam. Quæ tria si sufficienter probata fuerint, stabiliunt systema istud communius Theologicum eruens certitudinem Divinæ circa futura contingentia præscientiæ ex determinata & à Deo ante quodecunque decretum sic cognita veritate alterius è duabus quibuslibet contradictoriis de futuro contingentis.

L VIII.
 Ut se habeant duæ propositiones de præsentente contingenti, ita se habent duæ propositiones de futuro contingenti.

Probatur assertio quoad *primum*, ab exemplo determinatæ veritatis, quam necessario continet altera è duabus propositionibus contradictoriis de præsentente contingenti : uti si fiant hæc duæ propositiones : *Paulus orat, Paulus non orat*. Certum est alterum è duobus tam determinatè verum esse, quàm determinatè repugnat Paulum orare simul & non orare : sic itaque alterum è duobus verificatur sine illo dubio veritatis, quasi ambiguar, aut incertæ ; & hoc est determinatè verificari. Jam verò si duæ illæ propositiones ad tempus præteritum referantur in hunc modum, *Paulus oravit, Paulus non oravit* : certum rursus est verum esse pariter determinatè alterum è duobus, nempe quòd Paulus oraverit, aut non oraverit : vel præsertim quia talium propositionum, quæ ex hypothese verificentur, *Paulus orat, Paulus oravit*, licet tempora significata diversa sint, veritates tamen diversæ non sunt ; sed una est & individua veritas, quæ subsistit pro præterito, quia exititit pro præsentente.

L IX.
 Et sic alter.

Tum si deinceps prædictæ propositiones contradictoriæ enun-